

Andreas Dandulus

Chronica brevis

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Andreas Dandulus

Chronica brevis

1342

In Christi nomine Amen.

Incipit Cronica per annos Domini divisa, de Urbis et tocius Provincie Venetiarum inicio, constitutione ducum, ac laudabilibus operationibus sub ipsis gestis sumarie faciens mencionem.

Cum Deus omnipotens, a quo omnia subsistencia sumpserunt initium, Venetorum ducatum in christianorum principibus mirifice exaltauerit, quod, sumpto respectu ad ipsorum principium, ex suis laudabilibus operacionibus noscitur procesisse, de quibus moderni et futuri informati, de bono in melius debent racionabiliter proficisci, ob hoc ego Andreas Dandulo proposui, sub brevi compendio, provincie Venetiarum initium, et ipsius incrementum, et pro ut sub ducibus constitutis notabilia facta fuerunt, summatim enarrare. Ex hijs autem que dicentur, quedam narrantibus maioribus didici, quedam vero ex lectione annalium michi innotuerunt; unde principium, progressum et consumationem operis ex Illius expecto auxilio, qui est Rex regum et Dominus dominantium (Rex magnus super omnes deos).

Maiorum tradit antiquitas Venetias duas fuisse: prima illa que in vetustis ystorijs continetur, que, tempore destructionis magne Troie, ab Anthenore initium habuit, que a Panonie termino usque ad Adduam fluvium protelatur, cuius Aquilegia civitas extitit capud, in qua beatus Marcus evangelista, divina gratia perlustratus, Christum Iesum Dominum predicavit; qui deinde beati Petri iussu Romam accedens, de hedifficatione secunde Venetie, et sui ibidem corporis requie, divino nutu, ab angelo clarificatus fuit.

Secunda enim Venetia illa est, que in marinis insulis et litoribus fabricata, nunc eciam constare dignoscitur: et Adriatici maris collocata sinu, interfluentibus undis, positione mirabili, multitudine populi (in ea) feliciter habitatur. Qui videlicet populus ex priori Venetia duxit orriginem, tempore quo Athila, Unnorum rex, exercitu congregato, ad Ytalie partes accessit, elapsis tunc ab incarnatione Domini nostri Yesu Christi annis quadringentis viginti uno, in pontificatu romano beato Leone papa primo, in imperio Theodosio iuniore tunc existentibus.

Nam primo Aquilegie civitatem apprehendit, Concordiam et Altinum ipsi vicinas incendit: deinde per Vincenciam, Veronam, Pergamum et Brixiam iter faciens, omnia dissipavit. Ob hoc nobilium et populi immensa multitudo, persecutionem instantem volens evitare, ad marinas insulas se transduxit, ubi castra, oppida et vici in locis plurimis exstructi fuerunt: et ibi cristianam et catholicam fidem totis viribus excolebat; denique, persecutore, ortatu Leonis pape, ad propria redeunte, ipsorum pars tamen maior ad priora domicilia se reduxit. Sed qui in insulis remanserunt, Dei timore preposito, statum suum feliciter augebant, usque dum Narsis patricius, a Iustino secundo imperatore tunc ad Italiam directus, verbisque Sophie auguste conmotus, Langobardos, qui in Panonie finibus habitabant, sub Albuino eorum rege in Ytaliam introduxit, discursis tunc ab ipsius domini nostri Yesu Christi incarnatione annis quingentis sexaginta, in Romana ecclesia presidente Benedicto papa primo: Aquilegiensi vero preerat santissimus vir Paulus nomine, natione romanus, qui Longabardorum rabiem metuens ad Gradi insulam

confugit, secumque beatissimorum martirum corpora deportavit, et ipsa honore dignissimo ibi recondidit.

Concordiensis vero episcopus, eadem causa motus, ad Caprolense litus accessit; cives enim Opitergij et Auxoli in civitate Eraclina et Equili se reduxerunt; et sic venerabilis Maurus Altiniensis episcopus, Dei nutu inspiratus, ad Torcellensem insulam et ad alias circumiacentes se reposuit. Eodem namque inductu, diversarum civitatum tribuni et populi in Metamauco et alijs insulis et littoribus advenerunt, ubi sua cum primis ibidem habitantibus firmantes domicilia, civitates, que nunc adesse videntur, primitus construxerunt. Et interim venerabilis Paulus, dum prefate metropolitane ecclesie annis duodecim prefuisset, de hoc seculo vitam finivit; cui successit Probinus, natione beneventanus, qui hanc ecclesiam uno anno rexit; cui, ex canonicorum populique electione, et romani pontificis Pellagii confirmatione, successit domnus Elyas, ex Grecorum genere ortus, qui sancte Eufemie ecclesiam, presulisque domum in Gradensi civitate, cui Aquilegie nove nomen imposuit, primo construxit, ac universalem sinodum ibidem congregavit, in ipsa adserens:

Carissimi fratres, intervenientibus malis nostris, cottidie hostile perpetimur flagelum; eciam pridem ab Atyla, Unorum rege, Aquilegia civitas nostra funditus fuit destructa: et postea Gothorum incessu et ceterorum barbarorum quasata, vix aspirat, sed et nunc Longobardorum nefande gentis flagela substinere non potest; qua propter dignum ducit mansuetudo nostra, si vestre placet sanctitati, in hoc castro Gradensi nostram confirmare metropolim. Quod dictum omnibus episcopis, clero et populo conplacuit: quod,

ipso procurante, a Pellagio tunc summo pontifice confirmatum extitit per publicam privilegij cartam, inter cetera continentem, qualiter ipsum primatem Venecie, Ystrie et Dalmacie constituebat. Cumque dictus Elias huic ecclesie annis quatuordecim prefuisset, de hac vita transgrediens, in ecclesia sancte Eufemie, quam ipse construxerat, sepultus fuit. Interea maiores et populi multitudo, videntes se honoribus insigniri, de eorum statu in marinis augmentando insulis fiduciam habuerunt, et se ad invicem comprovinciales sepius congregantes, de communi bono mirabiliter pertractabant, generali ordinatione cernentes tribunos in quolibet oppido fore constituendos, qui, Deo previo et iusticia suadente, malos a malo penarum coercione facerent deviare, bonos vero premiorum exortatione in melius facerent proficisci; et sic unanimiter ad bonum publicum intendentes, eorum prouinciam, personis pariter et diviciis, fortiter auerunt, habentes tamen honorem suum pre ceteris cariorem. Ideo, discursis tunc ab incarnatione domini nostri Yesu Christi annis septingentis [quinque], Constantino papa Romanam Ecclesiam regente, Christofaro Gradensem, ac imperante Anastasio, et Lionbrando Langobardorum regno presidente, maiores universi et populi multitudo, acceptantes id quod Dominus ore prophetico populo suo promisit, videlicet quod daret sibi caput unum, et quod princeps unus esset in medio eorum, edicto generali citati, in Civitate nova se unanimiter reduxerunt, statuentes honorabilius esse a duce regi quam a tribunis; quod decretum usque nunc extitit observatum. Et quia nostri propositi executio ad ipsorum ducum creationes et eorum magnalia opera principaliter intendit, ideo, alijs pretermisiss, ad hoc transeamus.

Paulucius dux ab universis tribunis maioribus ac populi multitudine laudatus fuit dux in Civitate nova, elapsis ab incarnatione Domini Nostri Yesu Christi annis septingentis quinque. Hic dux sapienter et bene populum sibi subditum gubernavit; firmam et illibatam pacem cum Lioprando Longobardorum rege composuit: confinesque sui ducatus cum ipso terminavit: Equilinosque sibi rebelles reconciliavit. Qui, cum dignitati prefuisset annis novem, mense uno, feliciter de hac vita transivit, et in prefata Civitate nova traditus fuit sepulture.

Marcellus dux ad predictae dignitatis solium, universis provincialibus congregatis, in eadem civitate promotus fuit, discursis ab Incarnatione predicta annis septingentis quatuordecim. Hic dux, pacis amator, cum subditis et vicinis benevole pertransivit: demum cum ducatum gubernasset annis septem, mensibus tribus, humane vite debitum persolvit, ibique sepultus fuit.

Ursus Ypatius dux ad hanc sedem, vociferante populo, unanimiter ibidem fuit creatus, efluxis ab incarnatione Domini annis septingentis viginti uno.

Iste dux imperiali largitate Ypatii honore insignitus fuit; discordiaque suo tempore inter ipsum ducem et Equilinos exoritur, unde universaliter omnes ipsum ducem odio habebant, in tantum, quod, cum ducasset annis novem, a populo fuit occisus.

Leo magister militum ad hunc titulum in Matamaucho accessit ann[o] Domini septingentesimo trigesimo. Nam, occiso duce, de novi ducis promotione non concordantes, de Civitate nova receserunt, et in Metamaucho venerunt; ibique decreverunt magistros militum fore

constituendos, qui ipsorum regimini uno anno presiderent; et ideo, cum dictus Leo, qui primo promotus fuit, uno anno gubernasset, administrationem dimisit.

Felix magister militum ad honorem hunc ascriptus fuit in Metamauco, anno Domini septingentesimo trigesimo primo. Hic similiter uno anno prefuit, deinde regimen cessit.

Deusdedit, magister militum, magisterij officium adsumpsit ibidem, anno Domini septingentesimo trigesimo secundo. Hic fuit filius Ursi ducis a populo interfecti, qui eadem dignitate, ut in sequentibus aparebit, illustratus fuit: denique expleto anno gubernationem dimisit.

Iubianus ypatus magister militum hoc in Metamaucho suscepit officium anno Domini septingentesimo trigesimo tertio. Iste, auctoritate imperiali, ypati titulo decoratus fuit.

Hoc tempore archiepiscopus Ravenas a Venetis auxilium postulavit, ut Ravenam civitatem de dominio Ylderandi, nepotis Lioprandi regis, et Paradei Vicentini ducis posset recuperare: quo habito, ipsam civitatem feliciter recuperavit.

Deinde, elapso anno, secesscit.

Iohannes Fabriciacus magister militum officio huic prefectus fuit anno Domini setingesimo trigesimo quarto. Hic eciam uno anno functus officio gubernationem relinquit.

Deusdedit dux hoc solium, laudante populo, adquisivit in Metamaucho, effluxis ab incarnatione Domini annis septingentis triginta quinque.

Hoc tempore Venetorum populus, sedata discordia, ad ducale regimen perhabendum comuni decreto reddierunt: et hunc ducem, filium Ursi ducis occisi, ipsum volentes placare, promoverunt. Hic ad fortificandum castrum Brondeli personaliter accedens, a quodam Galla eius oculi evulsi fuerunt, dum dignitati prefuisset annis decem et menses [duo]: tunc ob hoc secessit.

Galla dux ducatum, post scelus in predecessore comisum, arripuit anno Domini setingesimo [quadragesimo quinto]. Hic in quo deliquit punitus fuit; nam, dum ducasset anno uno, a populo eius oculi fuerunt extracti, et dignitate eciam privatus.

Dominicus Monegario dux ducalem sedem intromisit in Metamaucho anno Domini septingesimo [quadragesimo sexto].

Huius diebus ab universo populo duo tribuni constituti fuerunt, qui, una cum duce, patriam gubernarent; et hoc propter asperitatem predicti ducis, quam demum populus sufferre non potens, oculis ipsum privavit: et sic, dum patriam gubernasset annis sex, a ducatu abiit.

Mauricius dux in Metamaucho unanimiter ducatum adscendit anno Domini septingesimo quinquagesimo primo. Hic dux tribunus fuit de Eracliana civitate, nobilissimus fuit et sapienter et iuste dignitati prefuit. Qui, cum ducasset annis [sexdecim], Iohannem natum suum, de hoc laudante populo, sibi in dignitate consortem et successorem fecit; deinde de hoc seculo feliciter transmigrauit.

Iohannes dux, post genitoris decessum, solus regere cepit anno Domini septingentesimo [sexagesimo] septimo. Hic Mauricium filium suum, cum voluntate populi, collegam in dignitate accepit; ipsumque, navali munimine fulcitum, ad Gradensem urbem, pro occisione Iohannis sanctissimi patriarche, destinavit; qui patris iusum nequiter adimplevit. Cuius loco canonice electus fuit venerabilis vir Fortunatus nomine, qui, asperitatem ducum metuens, de Venetijs recessit et ad Karulum regem tunc adivit. Quod [Obelierius] tribunus, cum multis nobilibus perhorrescens, de Venetijs recessit et ad Trivisanas partes se reduxit, ubi, post modicum tempus, populi multitudo concurrat et ibi Obelierium tribunum in ducem elegit; quo peracto, Iohannes et Mauricius, cum annis decem et novem ducatum rexissent, timentes Obelierij potentiam, clam, relicta patria, abierunt.

Obelierius dux, expulsis prefactis ducibus, in ducatum potenter intravit anno Domini [septingentesimo octuagesimo septimo]. Qui fratrem suum Beatum nomine coequalem sibi in dignitate(m) accepit. Horum tempore Eracliana civitas radicitus a Venetis extirpata fuit; Dalmaticorumque provincia a Venetorum exercitu tunc etiam devastata extitit. Interea Obelierius dux, videns Beatum ducem a populo honore preferi, clam recedens, ad Karollum regem, in Lombardie partibus existentem, personaliter accessit, annuens sibi Venetorum provinciam sub suo dominio consignare; quod Karulus affectans, exercitum copiosum preparavit.

Beatus autem dux, hoc presciens, in Rivoalto cum Venetis se reduxit, ubi libertatem patrie unanimiter defendere proposuerunt.[Karulus] vero, cum exercitu, ad litus Albiole accessit, ubi suum volens obtinere

intentum, consilio cuiusdam vetule inductus, milites suos, ut Rivoaltum venirent, in çatris ligneis consendere iusit, qui, excrescentibus aquis, pro maiori parte perierunt. Videns [Karulus] quod hoc ex divino nutu procesisset, a malo proposito se revocavit; a duceque pecijt ut in Rivoaltum pacifice venire posset. Qui ibidem veniens, multis libertatibus et immunitatibus Venetos decoravit, confinesque provincie, iuxta terminationem factam tempore Lionbrandi regis et Paulucij ducis, confirmavit et de Venetijs recessit.

Obelierius dux ad Grecie partes se reduxit.

Beatus vero, cum ducasset annis quinque, exul a patria, ortante imperatore, est effectus.

Angelus Partitiacio dux huius preeminencie titulo fuit ascriptus anno Domini [septingentesimo octuagesimo secundo]. Hic primus fuit qui in Rivoaltum promotus extitit. Qui eciam ducale palacium ubi nunc esse dignositur primitus fabricavit: et, cum duos haberet filios, Iustinianum videlicet ad Grecorum imperatorem destinavit, a quo ypati honore decoratus fuit, alterum, Iohannem nomine, consortem et successorem ducatus decrevit; ob hoc Iustinianus rediens eius frater depositus fuit, et Constantinopolim in exilium missus (fuit); ipse vero in dignitate subrogatus fuit. Interea Iohannes Tornarico et Bonus Brandoniso, qui contra duces conspiraverant, populari sententia apud Sanctum Georgium suspensi fuerunt. Denique Angelus dux, senectute confectus, Iustinianum suum natum regere permictebat; et tunc reverendum corpus beati Marci evangeliste a quibusdam mercatoribus venetis de Alexandria transfertur Venetias, cuius precibus

ipsa civitas magnificenciis plurimis noscitur exaltata. Monasteria quoque sancti Ylarij et sancti Cacharie de novo fabricata fuerunt, multisque possessionibus et bonis doctata; in quo videlicet sancti Ylarij monasterio, dictus Agnelus dux, cum ducatus annis decem et octo prefuisset, expirans sepultus fuit.

Iustinianus Particiacio dux, mortuo patre, solus regere cepit anno Domini octingesimo [decimo]. Hoc tempore Michael imperator Grecorum, qui ad debellandas Scicilie partes exercitum transmictebat, subcursum a Venetis postulavit: quo habito, stolus missus absque notabili operatione Venetias remeavit. Illico Iohannes, predicti ducis frater, qui apud Constantinopolim exul fuerat, obtenta gracia, ad patriam redijt, et, ducali honore, consenciente fratre, similiter illustratus exstitit. Hic dux, iuxta palatium, ecclesiam pro preciosi corporis reposicione fabricare incepit, quam ducum capellam perpetuo esse constituit, ipsamque, morte preventus, complere non potuit, cum solus rexisset annis tribus; sepultusque fuit apud sanctum Ylarium, in sepulcro patris sui.

Iohannes Particiacio dux solus, fratre mortuo, ducare cepit anno Domini octingesimo decimo tertio. Hic ecclesiam a fratre inceptam perconplevit, ipsique consecrationis munus fecit impendi, ad Divine Maiestatis beatique Marci Evangeliste laudem et honorem, cuius corpusin ipsa reverenter reconditum fuit. Hic dux cum Narentanis pacem composuit: Obelierium quoque ducem, circa Venecias venientem, cepit, ipsumque laqueo apud Sanctum Martinum de Strata suspendi iusit. Insuper Istrienses episcopi, qui munus consecrationis a Gradensi Metropolitano receperant

hucusque, ipsum, Longobardorum regis potencia coacti, ab Aquilegiensi patriarcha recipere promiserunt.

Interea tribunus quidam Carosus nomine, cum multis ei adherentibus, contra ducem conspirans, ipsum de Venetijs recedere coegit, et ivit ipse ad regem Francie suum volens recuperare ducatum eius favore intercedente; et interea dictus Carosus nomine tirranico gubernabat. Ob hoc quidam maiores, uniti cum populi quantitate, ad Sanctum Martinum de Stratta se reducerunt, ubi, communicato consilio, deinde recedentes, in Rivoalto aplicuerunt, Carosumque ceperunt, et eius extractis oculis in exilium posuerunt. Quo peracto, Ursus Oliviensis episcopus, Basilius et Iohannes tribuni, expectantes redditum Iohannis ducis, de voluntate populi interim gubernabant, donec dictus Iohannes Venetias redijt. Demum, cura dignitati prefuisset annis viginti tribus, Mastallicorum progenies in sancti Petri ecclesia ipsum ceperunt, et, tonsata barba, ipsum clericum consecrare apud Gradum fecerunt, ubi, modicum vivens, sepultus iacet.

Petrus Trandominico dux publicatus fuit anno Domini octingesimo trigesimo [sexto]. Iste dux Iohannem natum suum colegam sibi in honore recepit: pro statu et honore patrie contra Sclavos et Narentanos viriliter propugnavit. A Theodoxio enim patricio, liberalitate imperiali, prothospatarij honore decoratus hic dux fuit, qui, ipsius imperatoris instancia motus, sexaginta belicasas naves obviam contra Saracenos, qui Tarentum advenerant, destinavit: que, nostris peccatis promerentibus, in ruinam misse fuerunt. Tunc Saraceni, audaci animo, versus Dalmaciam et Romandiolum advenerunt, ob hoc Venetis hinc inde inclusis persistentibus. Deinde

Iohannes dux decessit, in monasterioque sancti Çacharie humatus iacet, ubi eius pater, elapso anno, anniversarium celebrans, discursis ab eius creatione annis viginti novem, a quibusdam Venetis occisus fuit et ibi sepultus.

Ursus Baduario dux creatus fuit anno Domini octingesimo sexagesimo quinto. Hic, vi prelii, Dogmagum Sclavorum principem ad ossides dandos coegit occasione promissi federis conservandi. Hoc eciam tempore Sarraceni cum navali exercitu ad Dalmatie et Istrie partes discurerunt usque Gradum; contra quos prelibatus dux Venetos illesos conservavit: Iohannemque suum filium, assenciente populo, sibi consortem et successorem constituit. Ilico Sclavorum princeps ad depopulacionem terrarum maritimarum Ystrie potenter advenit, contra quem dux personaliter exiens victoriam habuit, et terris expoliatis damna restituit. Pax vero inter Venetos et Sclavos ob hoc dirupta fuit. Huic ab imperatore prothospatare dignitas concessa extitit; Dorsiduri eciam insula, que hucusque inhabitabilis fuerat, a Venetis plurimis edificijs fuit decorata. Demum, cum ducasset annis decem et septem, spiritum emisit, et in monasterio sancti Çacharie sepulture traditus fuit.

Iohannes Baduario dux, post genitoris obitum, in eo solo ducatus remansit anno Domini octingesimo octuagesimo secundo. Hic Comacli comitatum affectans suo unire ducatu, ad hoc obtinendum fratrem suum, Baduarium nomine, ad Summum Pontificem mittere cogitavit; qui, dum circa Ravenam iter faceret, a Comaclensibus occisus fuit. Dux vero ob hoc copiosum ibidem destinavit exercitum, a quo Comacli civitas viriliter capta fuit, mortem fratris sui, ut decebat, totaliter vindicando. Iste

dux corporali langore detentus, Petrum similiter fratrem suum sibi consortem constituit; qui in brevi vitam finivit; demum, procurante prelibato Iohanne duce, Ursus eius frater eadem dignitate illustratus fuit. Denique, elapsis annis a predicti ducis regimine octo, dicti duces sponte dignitati ducali renunciaverunt, et ad proprias mansiones redierunt.

Petrus Candianus dux hanc sedem aquisivit anno Domini octingesimo [nonagesimo primo]. Iste navale exercitum contra Narentanos misit, qui sine profectu ad propria remeavit; ob id ipse, armatis duodecim navibus, ad illas partes personaliter accessit, ubi, pugnando, ab hostibus fuit occisus; cuius corpus a Sclavis clam areptum fuit, et ad Gradensem urbem conductum. Ducavit anno uno mensibus quinque et ibi requiescit.

Iohannes Baduario dux denuo administracionem ducatus reabsumpsit, anno Domini octingesimo nonagesimo secundo. Iste dux est ille qui, propter valitudinem, ducatus renunciavit, qui populi precibus in turbacione ex morte ducis persistentis, inductus, ducale solium reasumpsit; qui, cum ducasset mensibus quinque, sedata populi perturbatione, iterum renunciavit. Petrus, filius Dominici Tribuni, dux, populi exclamatione, in eodem anno ducatus regimen suscepit. Huius tempore Ungarorum gens pagana et crudelissima in Ytaliam intravit, contra quos Berengarius rex suum direxit exercitum, qui Ungarorum potencie resistere non potuit, sed unanimiter terga verterunt; et sic Ungari, Veneciam intrantes, Eraclianam, Equilum et Capud argeris incenderunt, et id de Metamauco et Rivoalto facere intendentes, a dicto duce, cum navali stolo, recedere coacti fuerunt; quod ex gencium multitudine

non accessit, sed miraculose quodammodo creditur contigisse. Ungari vero per comitatum Tervisij, Padue, Verone, Papie et Mediolani transmeantes, omnia vastitati posuerunt, quos tandem Berengarius rex muneribus placavit, ut ad propria redirent. Hic dux a Leone imperatore prothospatari honore decoratus fuit; et, ut securius contra incursiones hostium persistere posset, muros a capite rivi de Castello usque ad Sanctam Mariam Iubanigo fabricare fecit, et ab inde cathenam ferream transmeantem ad Sanctum Gregorium apponi iussit; qui, dum ducatus prefuisset annis viginti tribus, transivit ad Dominum, sepultusque fuit in monasterio sancti Çacharie.

Ursius Baduario dux ad ducatum accessit anno Domini novicentesimo decimo quinto. Hic filium suum, Petrum nomine, ad Grecorum imperatorem transmisit, a quo prothospatari dignitatem adeptus fuit; cum vero ad propria redderet, fraude, a Michaeli Sclavorum duce captus exstitit, et spoliatus suis bonis, apud Vulgaricum regem Simionem nomine in exilium missus fuit. Qui dux, cum regimini prefuisset annis decem et novem, hanc vitam relinquens, monachalem habitum in monasterio sancti Felicis de Aymano absumpsit, ubi, expirans, sepultus in pace requiescit.

Petrus Candiano dux hunc gradum absumpsit anno Domini novicesimo trigesimo quarto. Iste Comacini castrum sibi rebelem iterum vi prelij vastitati subposuit: filiumque suum equivocum nomine ad Constantinum et Romanum imperatores transmisit, cui prothospatarij honor collactus fuit, et, donis receptis, remeavit ad propria; qui a patre duce et Venetis honorifice receptus

fuit. Deinde prefactus dux, cum ducasset annis [tribus], de hac luce subtractus fuit.

Petrus Baduario dux ducare incepit anno Domini noningesimo trigesimo septimo. Hic dux fuit natus Ursij ducis, qui, ducante patre, a Sclavis captus fuit; demum, ab eius creatione transactis annis tribus, humane sortis debitum persolvit.

Petrus Candiano dux prelibate celsitudini promotus fuit anno Domini novintesimo quadragesimo. Iste dux fuit filius suprascripti Petri Candiano ducis. Nam, hoc tempore, dux prefactus contra Narentanos, qui piraticam sordem continue exercebant, naves triginta tres, quas Veneti gumbarias nominabant, transmisit; de quibus capitanei fuerunt Ursus Baduario et Petrus Rosolo, qui euntes, restitutione dampnorum prius habita, federa cum ipsis composuerunt. Et ipsis reversis ad propria, collaudacione populi, dictus dux natum suum Petrum nomine sibi in dignitate [consortem] constituit; qui, paterna monita deinde parvipendens, cum modica parte populi, in Rivoaltino foro contra patrem iam senem conspiravit. Venetorum igitur universitas, hoc scelus substinere non valens, ad patris iussum filium personaliter detinuit; et, populi iudicio, dignus morte iudicatus fuit: sed tandem, volente patre, a patria exulatus fuit, et publice condempnatus ne ducis nomen unquam haberet, et quod nec a populo pro duce haberetur; et sic, secedens, Ravvenam adivit, ubi, ducante adhuc patre, cum auxilio Berengarij regis, sex Venetorum naves cepit. Et, cum dictus dux a filio has angustias substineret, expiravit, elapsis ab eius regimine annis decem et septem.

Petrus Candiano dux hanc sedem arripuit anno Domini novantesimo quinquagesimo septimo. Huic, post patris obitum, a populo, contra iudicium et promissiones factas, ducis dignitas (eidem) collata fuit; de quo certificatus Venetias cum gaudio et triumpho remeavit, cogens illico Iohannam uxorem suam ad vitam monasticam elligendam in monasterio sancti Zacharie: filium vero, quem ex ipsa produxerat, Vitalem nomine, clericum fecit, qui postea patriarcha est effectus. Deinde Huualderadam Ugonis marchionis sororem, in coniugem accepit, plurimis predijs et bonis dotatam, que tamen Ferrarienses et Opitergij cives sibi indebite detinebant: unde contra ipsos exercitum preparavit, eosque in confusione submisit. Decimoseptimo vero sui ducatus anno, cum a populo in odio haberetur, ignis ex opposito palacij appositus fuit, qui ecclesiam beati Marci et ducale palacium concremavit: de quo, una cum filio suo parvulo, volentes evadere, a populo interfecti fuerunt, et ipsorum cadavera ad macellum delata fuerunt; deinde, ex procuratione Iohannis Gradonico, ad Sancti Ilarij monasterium catholice sepulture tradita fuerunt.

Petrus Ursiolo dux, post predecessoris sui occisionem, in episcopali ecclesia constitutus fuit, anno Domini novantesimo septuagesimo quarto. Qui ob religionis propositum ducatum renuebat, sed tandem, populi precibus ortatus, acceptavit. Hic, de suo havere proprio ad hoc conferens, ecclesiam beati Marci et ducale palacium reedificare incepit: persecutiones magnas (adhuc) a propinquis ducis occisi substinuit, a quibus, suis meritis exigentibus, pluries se protexit. Cum vero ducatus dictus dux annis duobus, mense uno, prefuisset, cum venerabili patre fratre Humarino, abbate sancti

Michaelis de Cusano de Equitanie partibus, recessit, et ibidem pergens, habitum religionis absumpsit; qui, vivens et moriens, taliter erga Deum se habuit, quod, eius intercessione, multa miracula ostenduntur, et pro sancto ibi publice veneratur.

Vitalis Candiano dux creatus a populo extitit anno Domini novintesimo septuagesimo sexto. Quo constituto, Vitalis patriarcha, occisi ducis natus, qui, rumores populi metuens, extra patriam residebat, Venetias tunc reddijt: et illico, ad requisicionem ducis et populi, pro reconciliandis Venetis cum Ottone augusto Alemaniam adivit. Demum, elapso anno, dictus dux, sibi imminente morte, habitum monachorum Sancti Ylarij suscepit, et post dies quatuor de hoc seculo transiens, in ipso monasterio honorifice catholice sepulture traditus fuit.

Tribunus Memmo dux huic solio prepositus fuit anno Domini nongentesimo septuagesimo septimo. Huius tempore discordia maxima exoritur inter Maurocenos et Caloprinos, qua durante, Dominicus Mauroceno a Caloprinis occisus fuit, qui, metu Maurecenorum, tunc de Venetijs receserunt, euntes ad Octonem secundum imperatorem, promittentesque sibi Venetie ducatum submittere; et tunc imperator, ipsorum ortatu, suis subditis interdixit ne cum Venetis comercium haberent. Veneti vero, imperatoris iussum pertimentes, extra patriam exire formidabant, et presertim donec dictus dux vitam finivit. Tunc Stephanus Caloprinus, cum suis consortibus, Papiam, ad imperatricis presentiam se conduxit: et ibidem existens expiravit. Demum reliqui Caloprini, Auguste precibus, Venetias redierunt; de quibus Maureceni ulcionem massimam perceperunt.

Prefactus vero dux, cum ducasset annis quatuordecim coactus a populo suscepit habitum monachalem; deinde expirans in Sancti Zacharie monasterio sepultus fuit.

Petrus Ursiolo dux hanc dignitatem habere promeruit efluxis ab incarnatione Domini Nostri Yesu Christi annis nongentis nonaginta uno. Hic dux, suprascripti Petri Ursioli ducis natus, patriam benigne rexit, et ipsam honoribus et imunitatibus decoravit. Nam, eius tempore, Iaderatini et reliqui Dalmacie homines, incursiones Narentanorum et Croacie principum substinere non valentes, hunc ducem pro sua defensione sibi in dominum elegerunt; qui, exercitu congregato, ad illas regiones accessit, et ab insulis Carsi, Auxeri et Vegle fidelitatis perpetue sacramenta recepit: quibus receptis, ad Iadre civitatem applicuit, ubi Spalatini, et Tragurenses, et alij plurimi Dalmatini universaliter prefatum ducem suum dominum perpetuo esse laudaverunt, et ad ipsius honorem clerus et populus laudes cantaverunt. Quo peracto, supradicti principes versus Iadre civitatem potenter se direxerunt; et, bello diro hinc inde inito, Croatini et Narentani a Venetorum duce in conflictum fuerunt missi. Demum dux, ab inde secedens, ad Ladestinam insulam se transduxit, et, bello ipsis dato, tandem ipsum ducem suum dominum fore laudaverunt. Deinde, totius Dalmacie obtento dominio, dictus dux cum gaudio remeavit ad propria, titulo sui ducatus ob hoc primitus addens: atque Dalmacie dux. Hic dux Octonem tercium imperatorem Venetias venientem, ob reverenciam corporis beati Marci, devotissime recepit, et conpaternitatis vinculo illi se adstrinxit, confirmationemque privilegiorum sui ducatus obtinuit, et sibi, ex munere speciali, palium auri, quod duces

imperatoribus dare consueverant, perpetualiter remisit. Huic eciam duci et successoribus habitantes in Plebe Sacci, paduani districtus, ducentas libras lini pro ripatico solvere annualiter promiserunt; et sic laudabiliter ducatum regens annis decem et octo, de hoc seculo emigravit. Octo Ursiolo dux, patre mortuo, ducatum absumpsit anno Domini millesimo nono. Iste ab insulis et civitatibus Dalmacie renovando fidelitates recepit: et de annuo tributo ducatu persolvendo promissiones habuit: civitatem quoque Gradensem, sibi a Pepone Aquilegiensi patriarcha abreptam, hostiliter recuperavit, et ipsam muris et portis fecit undique communiri. Cum igitur ducatum gubernasset annis sexdecim, universus populus, ipsius capud existens Dominicus Flabanico, contra ducem conspiravit; ipsumque dignitate ducali privatum et, abrasa barba, cum monachali veste ad partes Grecie in exilium transmisit, ubi denique diem suum clausit extremum. Ob hoc Ursus Ursiolo Gradensis patriarcha, predicti ducis frater, timens, relicta sede, aufugit.

Petrus Centranico dux, predecessore privato, laudatus fuit anno Domini millesimo vigesimo quinto. Huius tempore denuo Pepo Aquilegiensis patriarcha hostiliter Gradum advenit, asserensse coadiuctorem venire Ursij patriarche et Octonis ducis, et hoc cum XII sacramentalibus adfirmavit. Et sic civitatem invasit, bonisque plurimis, preter quam sanctorum reliquias, quas invenire non potuit, ipsam expoliavit, et demum concremavit. Et a Iohanne papa, dicens Gradensem sedem de iure sibi fore subiectam, si sic erat, de subiectione ipsius confirmationem obtinuit; quod Ursus exaudiens ad papam perexit, et ostensis iuribus

suis, ipso Pepone contumaciter absente, in generali sinodo ipsius privilegium adnlatum fuit, et insuper declaratum metropolitanam sedem exemptam in Grado esse debere. Hic, cum ducatus prefuisset annis fere IIII, incitante Ursone patriarcha fratre antedicti Octonis ducis, a populo captus extitit, et, dignitate privatus, et, abscisa barba, cum monachali habitu ad partes Grece in exilium transmissus fuit, Ursus Ursiolo Gradensis patriarcha ducatum regere incepit anno Domini millesimo [vigesimo nono]. Nam, post exilium datum antedicto duci, Venetus populus volens Octoni duci dignitatem ducalem restituere, ad partes Grece nuncios speciales pro ipso transmisit, et interim dictus Ursus, cum voluntate populi, dignitati prefuit. Demum, elapso anno uno cum dimidio, nuncij redeuntes prefatum Octonem mortuum fore affirmaverunt; et tunc Ursus a ducatus regimine cessavit.

Dominicus Ursiolo dux ducatum intromisit anno Domini millesimo [trigesimo primo]. Hic, de morte Octonis certificatus, modica parte populi assenciente, sibi ducatum arripuit, et in ipso permansit uno die et una nocte; et postmodum populo in ipsum irruente, de patria unanimiter expulsus fuit: qui, Ravenam pergens, et similiter moriens, ibi tumulatus iacet.

Dominicus Flabanico dux ad hanc sedem provectus fuit in supradicto anno. Iste dux in expulsionem Octonis ducis capud populi fuit; unde, ob hoc, Ursius patriarcha ipsum in exilium misit; nunc vero, vociferante populo, integraliter fuit restitutus et ducali dominio decoratus extitit. Hic magnos processus fecit contra domum Ursialorum. Deinde, elapsis annis decem, mensibus [duobus], feliciter expiravit.

Dominicus Contareno dux publicatus a populo fuit anno Domini millesimo quadragesimo [secundo]. Huius temporibus Iadrensis civitas, suasionibus perfidorum inducta, Venetis primitus rebelavit, quam armorum vi, predicto ducante, potenter recuperaverunt; et tunc etiam Pepo antedictus Gradensem civitatem violenter arripuit, et deteriora quam primo fecit; et ob hoc dictus dux ad Benedictum papam nuncios destinavit, et confirmationem privilegii exemptionis obtinuit; et interim dictus Pepo crudeliter expiravit. Hic patriam feliciter gubernavit: transactisque ab eius publicatione annis vigintiquinque, mensibus novem, expiravit ad Dominum et tunc honorifice sepultus fuit in monasterio sancti Nicolai de Litore.

Dominicus Silvius dux constitutus fuit anno Domini millesimo sexagesimo octavo. Hic fabricare incepit ecclesiam beati Marci evangeliste, miro opere conditam, ut nunc esse dignoscitur: navalemque exercitum preparavit ad requisitionem Alexi imperatoris Grecorum contra Robertum Viscardum pro defensione Romanie. Crisobolij paginam, prothosevastes dignitatem consullit. Hic cum ducasset annis tresdecim, mensibus quinque, ad Christum transivit, et iuxta ecclesiam sancti Marci sepultus fuit.

Vitalis Faletro dux laudatus fuit anno Domini millesimo octuagesimo [secundo]. Hoc tempore, iam quasi completa ecclesia beati Marci, ubi esset corpus eius Veneti penitus ignorabant. Ob hoc, congregatis patriarcha, episcopis, clero et populo universo, generale ieiunium, cum orationibus, institutus fuit; et sic Evangelista pius de una columpna antike ecclesie manum extendens, se propalavit, die sexto exeunte

mense junij; et ab inde, cum gaudio accepto, die octavo octubris subsequentis, in prefata ecclesia tunc consecrata reverentissime collocaverunt. Cum vero dictus dux ducasset annis tredecim, humane sortis debitum adimplevit, sepultusque fuit sub porticali ecclesie sancti Marci.

Vitalis Michael dux hoc solium fuit adeptus anno Domini millesimo nonagesimo quinto. Huius temporibus, exercitus copiosus pro subsidio Terre Sancte destinatus fuit, cui Henricus Contareno episcopus castellanus prefuit, qui, castrum Caife viriliter aprehendens, multa privilegia et immunitates a Balduino rege primo obtinuit: et, ab inde secedens, ad locum [Smirrorum] accessit, et inde abstulit sanctorum Nicolai episcopi, et Nicolai eius patru, et Theodori corpora, que Venecias demum adveniens, ipsa in monasterio sancti Nicolai de Litore dignissime colocavit. Post hoc, cum a creatione predicti ducis effluxissent anni quatuor cum mensibus tribus expiravit, et apud Sanctum Marcum requiescit.

Ordelaufus Faletro dux, universa concione laudante, hunc titulum habere promeruit anno Domini millesimo nonagesimo nono. Hic dux ab Alexio imperatore Grecorum requisitus, pro defensione Romanie exercitum contra Boamontem filium Roberti Viscardi transmisit, et ab Henrico [quinto] Romanorum augusto confirmationem libertatum et inmunitatum Venetorum obtinuit. Hoc tempore civitates Dalmacie, suasionibus Ungarorum inducte, a Venetorum fidelitate se removerunt. Ob hoc strenuus dux preparari iussit exercitum copiosum, cum quo versus Dalmaciam personaliter navigavit: et, ibi descendens, cum Ungaris campestre et durum bellum commisit; tandem, armorum

impulsu, Ungari terga verterunt, et de Dalmacie finibus exire coacti fuerunt; quo facto dictus dux dominium civitatum Dalmacie potenter recuperavit: et insuper, montes transiens, Croacie dominium accepit: et sic titulo sui ducatus primitus addidit: Atque Croacie dux: demum, sub fidelitate sua relictis civitatibus, cum gaudio Venetias remeavit. Quod Ungaricus rex exaudiens, pro recuperanda Dalmacia milites et pedites infinitos ibidem transmisit; quod Ordelaus dux presentiens, potenter ad Dalmacie partes accedit, et ibi cum Ungaris canpestre bellum committens, ab hostibus fuit occisus, transactis ab eius ducatu annis decem et novem; cuius corpus Venetias fuit translatum, et apud Sanctum Marcum humatum in pace iacet.

Dominicus Michael dux publicatus fuit anno Domini millesimo [centesimo decimo octavo]. Iste dux, Balduino rege secundo Ierusalem a Saracenis capto, ad requisicionem Calisti pape potenter pro recuperatione Terre Sancte transfretavit, et civitatem Tyri et alias civitates Syrie recuperavit, Saracenisque maritimum conflictum intulit, et Christianis securitatem induxit. Ob hoc Vermundus, Jerusalem patriarcha, cum regni baronibus, dominium tercerij Tyri et multas libertates et immunitates Venetis condonavit. Demum Dominicus dux Venetias rediens, aliquas civitates Dalmacie ad Ungaros fore conversas invenit; qui, ibi descendens, Spalatum, Tragurium et Belgradum, sibi rebelles, armorum ictibus ad fidelitatem suam reduxit: et ab ipsis acceptis obsidibus, Venetias remeavit, ubi gratanter et honorifice receptus fuit. Tandem, cum ducatu prefuisset annis undecim, de hac vita transivit, et in monasterio sancti Georgij sepultus fuit.

Petrus Polano dux ducale sceptrum aquisivit anno Domini millesimo [centesimo vigesimo [octavo], contradicentibus Henrico Dandulo Gradensi patriarcha et Babduariorum progenie, quos, parentella hinc inde contracta, dictus dux sapienter reconciliavit: civitates quoque Fani et Fole vinculo iuramenti sibi fideles et tributarias fecit. Hic, a Manuele Grecorum imperatore requisitus, exstolium inmensum pro defensione Romanie contra Rogerium regem Sicilie preparari fecit, cum quo de Venetijs personaliter secedens, ad Caprularum urbem applicuit: et tunc, ob oppresionem corporalis langoris, cum exercitu ad propria remeavit: elapsis ab eius creatione annis decem et octo de hac vita transivit, sepultus quoque fuit in monasterio sancti Cipriani de Murano. Dominicus Mauroceno dux huic excellenti dominio proventus fuit anno Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo. Hic armatam, a suo predecessore conditam pro defensione Romanie, contra Rugerium regem misit, ipsiusque capitaneos constituit nobiles viros Iohannem et Naymerium Pollano, qui euntes, exercitui prefati regis conflictum et damnum infinitum contulerunt; civitates quoque maritimas Istrie, piraticam sordem exercentes, vi prelii, ad fidelitatem, cum tributi annuatim solucione sibi facienda, coegit. Deinde, cum dignitati prefuisset annis octo, emigravit sepultus quoque fuit in monasterio Sancte Crucis.

Vitalis Michael dux, vociferatione populi, factus fuit anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quinto. Iste dux Ordoricum Aquilegiensem patriarcham, qui ad Gradensem urbem occupandam advenerat, ut ab inde Sanctorum Corpora auferret, in conflictum posuit, ipsumque cum suis primatibus personaliter cepit;

ob quorum relaxationem fiendam ab ipso patriarcha annuale tributum promissum fuit; Tarvisinos quoque suos complices exterminavit. Iadrensemque urbem, ob subiectionem archiepiscopatus sui patriarche Gradensi sibi rebellem, vi prelij potenter recuperavit. Hoc tempore Emanuel, Grecorum imperator, per totum suum imperium Venetos adprehendi iussit; quod dux peraudiens, exercitu galearum centum subito congregato, ad Grecie partes accessit, ad insulam videlicet Chij; unde hoc imperator cognoscens, cum suo posse non procul a dicta insula se reposuit, non audens tamen Venetis obviare. Imperator vero, suum propositum adimplere non valens, quamdam aquam tosicare fecit, ex qua multitudo maxima Venetorum perijt; et sic dictus dux, non bene adimpleto suo proposito, ad propria reddijt; et tunc, universali decreto, imprestita comuni facta confiscata fuerunt. Post hec, discursis a sui ducatus inicio annis decem et [octo], dictus dux supra pontem sancti Çacharie a quibusdam civibus occisus fuit, et in ipso monasterio sepultus requiescit. Sebastianus Çiano dux ellectus, et a populo laudatus fuit, currente ab incarnatione Domini nostri Yesu Christi anno millesimo centesimo septuagesimo secundo. Hoc tempore universalis concio, volens pericula et scandala in creatione ducis evitare, undecim electores constituit, qui, iure iurando astricti, hunc in ducem ellegerunt; et sic predictus fuit primus qui per electionem ad hunc gradum accessit. Hic Anchonitanorum arroganciam de maris custodia contendencium confregit.

Alexandrum quoque tercium papam, ob persecucionem Frederici primi Augusti Venetias venientem, çelo Christiane fidei adiuvere disposuit: nunciosque ob

hoc imperatori destinavit; quos imperator vilipendens, exercitum contra Venetos inmensum preparavit, et ipsum Ottoni filio suo comisit. Quod sapiens dux prescians, de divino potius favore confidens, suum extolium similiter congregavit, cui, in signum fidei, predictus pontifex cereum album contulit: et ipsi cum armata recedenti ense condonavit. Qui maris undas sulcando, circa Istriam provinciam applicuit, et ibidem exercitum Augusti invenit, ipsumque duro prelio hinc inde confecto in conflictum posuit, Octonemque eius filium personaliter detinuit, et Venetias remeavit; cui papa in signum universalis dominij dispensationem maris concessit. Demum, de reconciliatione inter utrosque fienda, predictus Octo ad patrem accessit, et ipsum Venetias induxit, ubi pax, amborum consensu, solidata fuit in ecclesia videlicet beati Marci, quam ob remunerationem gestarum rerum, et ipsarum memoriam, perpetuam indulgentiam remissionis pene et culpe in die Ascensionis, et multis alijs indulgentijs in reliquis diebus, dictus pontifex perdoctavit. Qua facta, de Venetijs duce una cum ipsis recedentibus, in civitate Anchone ab ipsis duci umbrelis portatio concessa fuit, in urbe vero Romana confalones diversorum colorum dono similiter acquisivit: et sic, cum gaudio Venetias rediens, discursis ab eius electione annis septem, feliciter pertransivit: sepultusque fuit in monasterio S. Georgij.

Aureus Maystropetro dux per electionis modum extitit anno Domini millesimo centesimo septuagesimo octavo. Hoc tempore Terra Sancta per Sallatinum soldanum de christianorum dominio erepta fuit; corpusque sancti Stephani prothomartyris a quibusdam monachis de Constantinopoli clam acceptum fuit, et ad Venetorum

urbem conductum, et tunc reverenter reconditum in monasterio sancti Georgij; ob cuius reverentiam publice laudatum fuit quod duces, in vesperis et Missa festivitatis sue, personaliter ibidem interesse deberent. Hic dux fabricare fecit monetam suo nomine apellatam aureli, de qua hodie in cartarum penis specialis mencio habetur. Demum, cum dictus dux regimini annis quatuordecim prefuisset, habitum religionis in monasterio sancte Crucis recepit, et ibi laudabiliter expirans in pace iacet.

Henricus Dandulo dux, suis exigentibus meritis, a quadraginta electoribus electus, ac publica concione laudatus fuit, anno Domini millesimo centesimo nonagesimo secundo. Hic Pisanorum maliciam piraticam exercencium conteruit: confirmationem quoque libertatum et imunitatum Venetorum, ab Henrico sexto imperatore, obtinuit, et monetarii argenteam apellatam grossos primitus fabricari iussit. Iste dux namque confederationem cum Balduino comite Flandrie et marchione Montisfferati et alijs commitibus et baronibus, pro recuperatione Terre Sancte, composuit et cum stolio inmenso galearum, ussriorum et navium, cum ipsis de Venetijs recessit, et ad Istrie partes primo pergens, civitates Tergestij et Mugle sibi fideles et tributarias annuatim, vinculo iuramenti, fecit. Et maris deinde sulcando undas ad Iadrensem urbem applicuit, que sibi tunc rebellaverat, de commitatu ipsorum nobilem virum Dominicum Mauroceno, in ipsius ducis contemptum, expelendo: ipsamque civitatem, armorum vi, aprehendit, eamque, pro maiori parte, subvertit, de civibus eciam vindictam sumens, ut decuit. Tandem, propter yemale tempus ibi existens, Alexius, Ysachii imperatoris Constantinopolis filius, de imperio expulsus,

cum literis Philippi Romanorum Regis, ad ducem et reliquos conmites accessit, cum quo unione similiter inita, pro ipsius restitutione Constantinopolim primitus adire universaliter decreverunt; et interim nobilis vir Rainerius Dandulo, ipsius ducis natus, vice patris ducatum gubernabat. Estolium vero Constantinopolim se reduxit, primitus ab Alexio imperij detentore nuncijs suis exposcens ut imperium Ysachij nato indebite expoliato restituere deberet; quod facere omittens, civitatem antedictam universaliter impugnantes, tandem ceperunt, et dictum Alexium concorditer coronarunt. Qui, deinde, promissa atendere nolens, a Venetis [et] Francigenis de civitate fuit expulsus, ipsamque, cum toto imperio, dividentes, imperatoris titulum Balduino antedicto dederunt, dictoque duci civitatis et imperij unum quartum cum dimidietate alterius contulerunt; unde, ob hoc, suo titulo ducali primitus addidit: Quarte partis et dimidie totius imperij Romanie. Ex cuius ducis mirifica operatione Venetorum status vehementer auctus fuit. Demum, ab eius electione elapsis annis tredecim, de hoc seculo in Constantinopoli feliciter emigravit: ubi nunc sepultus in pace requiescit.

Petrus Çiano dux per electionem ad hunc gradum ascendit anno Domini millesimo ducentesimo quinto. Prenominatus dux Sebastiani ducis filius fuit, qui de morte ducis receptis novis, existens Arbi Comes, huic dignitati prepositus fuit: et illico armari fecit galeas trigintaunam, quibus prefuerunt capitanei nobiles viri Rainerius Dandulo et Rucerius Permarino. Qui de Venecijs recedentes, castra Corphu, Mothoni et Coroni, armorum impulsionibus, occuparunt, et deinde ad Cretensem insulam navigantes, Ianuenses et Leonem

Vetranum piraticam exercentes ceperunt, denique magistram illius insule urbem, Candiam appellatam, cum reliquis urbibus et Castelis, vi belli acquisiverunt, que, iubente duce, inter Venetos ibidem destinatosdivisa fuit. Paduanorum quoque adrogancia, volencium turrim Babie a ducale dominio subtrahere, conterrita fuit; Clugienses ob hoc a tributo galinarum absoluti fuerunt, et ipsis tunc, auctoritate Maioris Consilij, potestas datus fuit; et episcopatus insuper de Matamauco inibi translatus extitit; et Ragusina civitas tunc sub ducali dominio se subiecit. Insulam vero Nigropontis, sibi pro particione imperij expectantem, quibusdam nobilibus Veronensibus, sub annuo tributo, concessit. Hoc tempore Marcus Çorzano, cum galeis sibi commissis, comitem Alemanum de Brandussio, qui ad dapnum Cretensis insule advenerat, cepit, ipsumque Venecias cum nogentis hominibus captum duxit. Cumque ducatu prefuisset annis viginti [quinque], ob senectutem renuntiavit, et postmodum expirans, in monasterio Sancti Georgij nunc requiescit.

Iacobus Teupulo dux, electionis ordine observato, publicatus fuit anno Domini M^oCCXXX. Hic dux ab electoribus viginti solumodo ellectus, reliquis viginti dominum Marinum Dandulo elligentibus, sortibus proiectis, in dignitate confirmatus fuit; qui civitatem Constantinopolim contra Vatacium imperatorem Grecorum viriliter conservavit. Civitatem quoque Ferrarie, sibi vicinam, ad requisicionem Gregorij tunc Summi Pontificis, de dominio Sallinguere subtraxit, ipsamque Gregorio de Monte Longo, Apostolice Sedis legato, consignavit. Iadrensemque urbem rebellem potenter reaquisivit; et Venetorum leges reformavit;

et Curiam Peticionum de novo statuit; et Paduanos, qui, de mandato Ecelini de Romano, Venetorum emuli, iuxta sancti Ylarij monasterium fortilicium construxerant, hostiliter repulit; civitatesque marinas Appulie, imperatori Frederico subiectas, cum galearum stolio, cui Iohannes Theopullo, ipsius ducis filius, prefuit, prostravit. Denique, cum ducasset annis viginti, mensibus novem, vitam finiens, apud Fratres Predicadores sepultus fuit.

Marinus Mauroceno dux, ex decreto nuper edito, a quadraginta uno electoribus electus, a populo deinde laudatus fuit anno Domini millesimo ducentesimo [quingagesimo primo]. Hic cum iam senes esset, cum omnibus pacifice pertransivit: et a Summo Pontifice obtinuit quod Sancti Marci primicerius mitra et baculo pastoralis uti posset: elapsisque annis tribus, mensibus duobus, obiit, et sub porticali Sancti Marci in pace iacet. Rainerius Zeno dux electus et a plebe confirmatus fuit anno Domini Millesimo ducentesimo quingagesimo [quarto]. Hoc tempore nobilis vir Laurencius Teupolo et Andreas Çeno, de mandato ducali cum maritimo exercitu recedentes, Ianuensium extollium iuxta Tyrum in conflictum posuerunt; et deinde, armorum vi, de civitate A(n)con exire coacti fuerunt. Denuo Ianuenses conteriti fuerunt in partibus de Septem pocijs a domino Gilberto Dandulo tunc galearum regimini presidente; iterum quoque a nobili viro Iacobo Dandulo ad Trapanum eorum nequicia oppressa extitit. Et, huius tempore, Palealogus, Grecorum imperator, civitatem Constantinopolim de dominio Venetorum et Francigenarum recuperavit. Hic rumores Venetici populi, qui ad arma propter maxenaturam cucurerant,

conpremit, et auctores seditionis mortis patibullo iudicavit: pontemque de Rivoalto primo fieri facere iuxit et brollium similiter salicare. Paduanam quoque urbem de dominio Ecelini de Romano, ad Pastoris Ecclesie requisicionem subtraxit. Ducavit an[n]is sexdecim et postmodum decedens, apud Fratres Predicatores sepultus iacet.

Laurencius Teupulo dux hanc illustrem dignitatem, ordine electionis observato, adeptus fuit anno Domini millesimo ducentesimo [septuagesimo primo]. Hic dux supradicti domini Iacobi ducis illius fuit; in cuius tempore Bononienses dominium Romandiole posidebant; ob hoc in superbiam inducti, Venetorum iurisdictionem custodie maris et introitus fluminum habencium, turbare disposuerunt; de quo seditiones et bella plurima sumpserunt originem. Sed tandem, ipsorum non obstante malicia, dictus dux in possessione(m) suarum iurisdictionum permansit. Denique, transactis ab eius electione annis septem, diebus vigintiquinque, vitam finivit, et in sepulcro patris sui, apud Fratres Predicatores, repositus fuit.

Iacobus Contareno dux, facta electione, a populo laudatus fuit anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo [octavo]. Huius temporibus civitas Iustinopolitana, que duci Venetiarum fidelitatis vinculo eratastricta, non modicum recalcitrabat. Ob que namque prelibatus dux exercitum copiosum ibidem destinavit; que, non obstante Aquilegiensis patriarche favore, armorum impulsu, sub ducali dominio posita fuit. Demum, cum ipse ducatu prefuisset annis tribus, mensibus quinque, senectute confectus, cum assensu

Venetorum renunciavit: deinde, non multum vivens, in monasterio Fratrum Minorum sepultus fuit.

Iohannes Dandulo dux hunc solium, electionis ordine, habere promeruit anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo [primo]. Hic reliquas urbes Ystrie maritimas, que iuramento fidelitatis erant astricte, non desistentes propterea ab iniquis actibus, sub suo dominio sapienter reduxit; qua de re bellum maximum inter Venetos et Aquilegiensem patriarcham excitatum extitit; qui tandem, Venetorum potencie non valens resistere, cum ipsis pacta composuit. Prelibatus dux, de patrie libertate et honore assidue recogitans, a Summo Pontifice per privilegium obtinuit, quod bona dampnatorum de heresi in comune Venetiarum debeant devenire; ita tamen, quod comune, ob hoc, omnes expensas facere debet inquisitionis officio oportunas. Deinde laudabiliter ad Dominum emigravit; sepultusque fuit apud fratres Predicatores, ellapsis ab inicio sui ducatus annis octo, mensibus septem.

Petrus Gradonicus dux, per modum electionis, ad hanc sedem accessit anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono. Hoc tempore, A(n)con, et relique terre Sirie, et civitates, de dominio christianorum erepte fuerunt. Inter Venetos quoque et Ianuenses scisma et turbacio per totum tempus prelibati ducis fuit; a quibus hinc inde extolia magna preparata fuerunt, in diversis vicibus, et ad invicem, ut poterant, possetenus se offendentes; tandem, ab ambabus partibus carceratis omnibus liberatis, pax inter eos solidata extitit; et tunc dictus dux, de prodicione contra ipsum et patrie statum per Marinum Boconem hominem popularem et complices eius tractata, ipsos ultimo supplicio

condempnavit. Hic etiam Paduanorum superbiam, qui, ob ipsius iniuriam, fortilicia iuxta locum vocatum Petadebo construxerant, asserencium velle salem facere, armorum impulsione conteruit: Dominium insuper civitatis Ferrarie accepit, propter quod Clemens papa quintus ipsum ducem et Venetos excommunicavit; quam tandem dictus dux sub dominio Ecclesie relaxavit.

Baiamontem enim Teupulo, pessimum proditorem, cum suis complicitibus conatum Domini tunicam inconsutilem scindere et dominium de manibus comuniter regencium subripere, de patria, pro rebellibus et proditoribus, exulavit. Demum, cum ducasset annis viginti [duo], mensibus [quatuor], humane vite debitum persolvit, et apud Sanctum Ciprianum de Muriano sepultus iacet.

Marinus Georgio dux, ducatum, ordine electionis observato, ascendit anno Domini millesimo trecentesimo undecimo. Huius tempore Venetorum provincia, ob Ferrarie dominium, in excommunicatione permansit. Prefuit namque ducatus mensibus decem et diebus decem, deinde, expirans, apud Fratres Predicatores humatus iacet.

Iohannes Superancio dux ad hunc ordinem promotus fuit anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo. Hic Iaderatinos sibi rebelles ad fidelitatem reduxit; absolucionem excommunicationis a Clemente Sumo Pontifice obtinuit; extolium etiam galearum, cui prefuit vir nobilis Paulus Mauroceno capitaneus, pro conservatione insule Nigropontis destinavit. Insuper civitates Spaleti, Tragurii, Sibinici et None, dimissa eroris caligine, sub ducali dominio redierunt. In hoc tempore galeas quadraginta

[duo] bene munitas, ad reprimendam Ianuensium sordem piraticam exercencium, ad ipsorum civitatem nomine Peram, cum nobili viro Iustiniano Iustiniano ipsarum capitaneo generali, cum multis nobilibus supracomitibus, destinavit; et cum dictus capitaneus ibidem applicuisset, cum Ianuensibus, sibi iminens periculum considerantibus, damnorum restitutione prius facta, pacem composuit; et, ultimo sui ducatus anno, contra Iacobum Quirino, Iacobum Barocio et Marinum Barocio, prodicionem patrie possetenus procurantes, capitalem sententiam, auctoritate sui consilij ad hoc deputati, fulminavit. Deinde, transactis ab eius regimine annis sexdecim mensibus sex, ad Dominum transmigravit, et apud Sanctum Marcum, in ecclesia baptismali, in pace requiescit.

Franciscus Dandulo dux hunc preexcelsum et magnificum solium per formam electionis ascendit, anno Domini MCCCXXIX. Hic in introitu sui ducatus neccesitatem bladi inveniens, nobilem virum Nicolaum Faletro, capitaneum plurium galearum et navium, ad Sicilie partes transmisit; unde magnam bladi sumam recuperavit, et Venecias redijt. Hoc eciam tempore civitas Pole, que vinculo fidelitatis Venetis erat astricta, libere ipsius civitatis dominium sub ducali protectione posuit; et illud idem illi de Valle fecerunt. De quo Paganus Aquilegiensis patriarcha senciens se gravatum, exercitum congregavit; sed tandem, resistere non valens, per pacta inita, ipse civitates sub ducali dominio remanserunt. Iste dux, çelo fidei catholice, cum Iohanne vigesimo secundo Sumo Pontifice et regie Francie, imperatore Constantinopolitano, ligam contra Turchos et unionem conposuit, qua durante, securitas maxima

christicolis in Romanie partibus residentibus, et damna Turchis data fuerunt. Sed, cesante dieta unione propter mortem Summi Pontificis, christiani antedicti ab ipsis Turchis molestias et incursiones maximas receperunt. Insuper, huius tempore, Albertus et Mastinus de la Scala, detentores Marchie Tarvisine, Verone, Brixie, Parme et Luce, superbia elati, in Venetorum contemptum, contra pactorum formam, iuxta locum vocatum Petadebo castrum fortissimum fabricarunt. Quod strenuus dux presenciens, ex opposito ipsius fortilicia ordinavit, et de hoc non contentus, cum comuni Florencie ligam composuit, et exercitum millitum et peditum in numerosa quantitate, in partibus Mote congregavit; qui ab inde tandem recedens, inimicis reclusis, per Tarvisij et Padue dioceses transiens, in Bovulenta se reposuit, et ibi fortilicium con[s]truxit; et interea castrum, ab ipsis iuxta aquas conditum, armorum vi, a Venetis captum extitit. Civitatem quoque Padue ipsis rebellem et sibi vinculo sacramenti fidelem fecit.

Albertus antedictus de la Scala, in ipsius civitatis Padue rebellionem, personaliter captus fuit et Venecias in carceribus conductus. Civitas vero Brixie, ad requisicionem ipsorum, similiter ipsis recalcitravit: et sic unionis exercitus iuxta Veronam, Vicenciam et Montemsilicem discurens, conflictus et dampna inimicis sepius intulit. Interim comitatus Cenetensis et Coneglani castrum sub ducali dominio se subdiderunt; et sic prefatus Ma[s]tinus de la Scala, considerans sibi periculum imminere, a Venetis misericordiam imploravit; quam, relaxato dominio civitatis Tarvisij et districtus sub potestate Venetorum, et Padue eciam districtus, et assignatis Florentinis quatuor castris comitatus Luce,

ac aliis honorabilibus iurisdicionibus ad petitionem Venetorum insertis, liberaliter et gratiose consecutus fuit; et pactis hinc inde firmatis, Albertus de la Scala sue pristine libertati restitutus fuit. Qui fratres, Venetorum gratiam affectantes, a prefato duce humiliter pecierunt se in numero suorum civium agregare: quod eis liberaliter concessum fuit; et tunc vinculo iuramenti fideles esse perpetuo annuerunt. Hic dux, ex hijs Venetorum fama ubilibet publicata, elapsis ab eius creatione annis decem, de hoc seculo feliciter transmigravit et in capitulo Fratrum Minorum sepultus iacet.

Bartholameus Gradonico dux ab electoribus et concione publica laudatus fuit anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono. In cuius creatione universaliter decretum fuit quod in libertate Maioris Consilij, de dando illis de Matamaucho, Pupilia, Pastene et Pellestrina potestatem, totaliter remaneret. Similiter, isto tempore, XVIII de impres[t]i[ti]one pro centenario de capitalle reddite fuerunt. Ducavit namque annos tres, menses [duo], et postea sub porticali ecclesie beati Marci apostoli et evangeliste traditus fuit sepulture, ubi in pace iacet.